DECISIO

QUAESTIONIS INAUGURALIS

INTER SOLENNIA GRADUS SUPREMI EX JURE UTROQUE PRO MORE RESOLVENDAE

UNA CUM

APPENDICIBUS APOLOGETICIS

ADVERSUS AUCTORES

der

Mainzer Monatschrift von geistlichen Sachen, 9. & 10. St. 1786.

AUCTORE

MATTHAEO KÜBEL,

SS. THEOL. ET J. U. DOCTORE, SS. CANON. IN ANTIQUISS. HEIDELBERGENSIUM UNIVERSITATE QUARTUM SECULUM NUNC EGRESSA PROF. PUBL. ORD.

9

HEIDELBERGAE,

Typis JOANN. BAPT. WIESEN, Univers. Typogr.

1787.

QUAESTIO DECIDENDA.

Quas in Germania mutationes subiit Scientia Juris Canonici per Systema Febronii?

Ad quaestionem maximi in re literaria momenti paucissimis *a*) responsurus recensebo duntaxat praecipuas scientiae hujus sacrae mutationes; ac inprimis quidem illas, quas expertum est Jus Canonicum commune; deinde eas quas Jus Canonicum patriae nostrae subire debuit. Quantum ad primum Febronio debemus, quod exilium indictum sit pluribus sententiis circa Jura tum Pontificis, tum Episcoporum, quae in scholis Germanicis non sine acerrima contentione eo usque propugnabantur; licet enim nemo in Germania illa opinionum monstra probaverit, quae ori-

a) Destinata erat decisio hujus quaestionis Praelectioni publicae inter Promotionum solennia, adeoque sine omnibus parergis concepta erat, tactis tantum praecipuis Capitibus, prouti hic eam benevolo Lectori exhibeo. Aura, & tempus tum prius brevem esse, deinde silere jubebant.

ginem ex dictatibus Gregorio VII. attributis traxere, quæque Febronius *b*) ex Card. Tuscho verbo: Papa, ex decisionibus Rotæ Romanæ, ex Card. de Luca, & ex Prospero Fagnano collegit; erant nihilominus tamen quædam sententiæ in scholis Germanicis etiamnum communes, nempe: *Episcopos habere jurisdictionem suam immediate a Pontifice, & mediate tantum a Deo: Pontificem ex Cathedra loquentem esse infallibilem: Pontificem posse derogare Concordatis.: c) Immunitatem quamcunque*

b) Vid. Præfat. ad Tom. I. §. Doctoribus Theologiæ, & Juris Can. — item Cap. III. §. 11. ejusdem Tomi, nempe: „ Papa potest „ Rex adpellari: est Princeps Principum, & „ Dominus Dominantium, est quasi Deus in „ terris; est supra Jus: est major omnibus „ Sanctis, excepto Petro: potest de injustitia „ facere justitiam: potest mutare substantiam „ rerum, & de eo, quod nihil est aliquid „ facere: potest mutare quadrata rotun- „ dis &c. „ Interim tamen notari omnino meretur, flosculos illos non crevisse in hortis Theologorum, sed Juris Consultorum, qui de Pontifice supremo Ecclesiæ Præside eodem modo loquebantur, sicuti de viribus rei judicatæ, nam & de hisce adfirmabant, quod ex injusto faciant justum, ex falso verum, ex non ente Ens, æquentque quadrata rotundis. — Vid. Wolfgangus Schmidt L. IV. Tit. 35. §. 16. N. p.

c) Nempe teste *Schloer* Diss. de natura & indole Concordatorum Cap. 2. hujus sententiæ fuere Brandten

cunque ecclesiasticam esse origine divinam; sufficere ad obligationem legis Pontificiæ promulgationem Romanam; & quæ hujus generis sunt plures; nempe: *de exemtionibus Religiosorum; de origine primarum precum, de superioritate Pontificis Romani supra Concilium:* Quæ censoriam Febronii virgam expertæ sensim ita exolevere, ut hodie quis risum, & indignationem pro plausu ferret, qui earum patrocinium suscipere tentaret.

II. Adgressus est autem Febronius has opiniones in primo suo fonte; *d*) nimirum in adulterinis Isidori Mercatoris Decretalibus, adeo-

Brandten Canonicus Augustanus, Chockier, Wames, Juris Consulti Leodienses. Multo plures recenset Schmalzgruber ad Tit. V. L. III. §. 270.

d) Sunt tamen eruditi quidam, qui Isidorum non in eo laborasse contendunt, ut Pontificis auctoritatem proveheret, sed ut Episcoporum jura amplificaret, augeretque; atque hisce adnumerandus Italus quidam Carolus Blascus nomine, qui eruditum Commentarium de Collectione Canonum Isidori Mercatoris conscripsit, de quo Cl. Schott in notis ad Doujatum Tom. 2. P. 1. L. 3. C. 20. §. 9. pag. 61. hæc habet: *Præter ea, quæ ex hoc libro docto, & memoratu digno, at in nostris oris raro supra retuli, hic notari meretur, Authorem maxime in eo esse, ut demonstret, primarium Pseudo-Isidori finem non tam in augenda potestate Pontificis Romani, quam potius*

que alterum commodum Juri nostro a Febronio præstitum, est exilium falsis injunctum Decretalibus; licet, enim hæ merces spuriæ atro jam stigmate inustæ essent tum a Gallis Catholicis tum præcipue a Blondello *e*), celeberrimo Reformatæ Religionis Theologo, nihilominus in Germania earum patronum agere voluit, teste Rupprecht *f*), quidam Liberius a Jesu, quem, quod miror, clarissimum Hungariæ lumen, Lackics scriptorem minime indoctum adpellare dignatur, *g*) sed, quod plus est, & Placidus Bœkhn, non infimi subsellii Canonum Consultus easdem passim ceu monetas

potius in juribus Episcoporum, & Metropolitanorum amplificandis positum fuisse. Quoad Metropolitas tamen jure dissentit Mich. Schmidt in der Geschichte der Deutschen L. 3. C. 16. pag. 345. editionis Frankenthalensis, ubi hæc pronuntiat: Isidor wagte sich auch an die ordentlichen Richter der Bischöfe, nehmlich an die Metropoliten, und suchte ihre Gewalt fast ganz zu zernichten, damit die Bischöfe frey, sicher, und so zu sagen, unverletzlich wären. Man irret sich sehr, wenn man glaubt, seine Hauptabsicht wäre gewesen, die päbstliche Gewalt zu erhöhen. Isidor machte den Pabst nur groß, um die Metropoliten klein zu machen.

e) Vid. Pseudo-Isidorus, & Turrianus Vapulans *per totum.*

f) Rupprecht Tom. I. Cap. 4. §. 5. seqq.

g) Præcognit. Juris Ecclesiastici C. 3. §. 46.

monetas minime adulteras adhuc A. 1735. dispensare non dubitavit. *h*) — Fateor equidem non paucos etiam ex Germanis harum Epistolarum spurios natales non ignorasse *i*), id tamen, quod inde conficere voluit Febronius, non adeo ursere; nempe: omnia Jura hisce Decretalibus Pontifici adserta, esse Jura secundaria, atque ideo Pontifici denuo auferenda, & Episcopis postliminio restituenda; cæteri namque Authores contenti fuere, digito demonstrare, quam ruinosis ædificium prætensionum Pontificiarum columnis innitatur; Febronius autem nolens hanc scientiam otiosam sub modio recondere, detecto ædificii vitio, illud ipsum in præceps agere nitebatur: in quo, utrum prudentiæ, ac modestiæ limites hinc inde non excesserit, hic examinare, a scopo meo alienum esse existimavi.

III. Tertium, quod Febronio in acceptis fert Jus nostrum ecclesiasticum, in eo versatur, quod hujus Juris Doctores stimulaverit ad excutienda diligentius antiquitatis scrinia; cum enim Febronius in multis operum suorum locis *k*), antiquos canones in usum revocari vellet,

h) Commentario in Jus Canon. universum ab A. 1735. edi cœptò.

i) Inter quos primo loco recensendus merito Greg. Zallwein Princip. Juris Eccles. T. 2. C. 5. §. 8. Xaver. Zech Præcognitis Juris Can. Tit. X. a §. 215. & jam ante hos Adrianus Daude Tom. I. Hist. Univers. reflexione 10. in Caput 2. Lib. 3.

k) Præsertim Tom. II. pag. 111. & 551.

let, cumque præterea *l*) disciplinam primorum octo sæculorum postliminio restituendam omni conatu contenderet; cum tandem etiam ne quidem dicta Sanctorum Patrum, sed constantem duntaxat usum, & uniformem disciplinam pro basi sui systematis agnosceret *m*), passimque se, suaque aggeribus ex antiquitate congestis communiret; eam necessitatem omnibus imposuit, ut qui ipsum de statione dejicere vellent, eum armis ex historia ecclesiastica petiris adgrederentur, atque inde effectum est, ut hodie in materia Juris ecclesiastici nihil fere scriptionis lucem publicam aspiciat, quod antiquorum monumentorum radiis non splendescat. Non diffiteor equidem præter Gallos quidem fere omnes etiam Germanos, Barthelium, Zechium, Zallweinium, Nellerum, Oberhauserum jam antiquitatis monumenta large salutasse, hausisseque inde complura suis Lectoribus propinanda; at enim potius recreationis causa, quam in certum usum; nempe: ideo tantum, ut sciretur, quid antiquitas probaverit, & quid mutationis quodlibet disciplinæ caput subire debuerit; sed præeunte Febronio incepimus facta antiquitatis pro Jure assumere, aut saltem, uti pro Jure assumerentur, desideria prodere. Cœpimus etiam urgere Primatem Ecclesiæ, ut antiquum Jus restitui patiatur; abnuente vero illo; causæ nostræ justitiæ ita confidimus, ut eo etiam invito illud reduci posse credamus. An tamen

l) Uti Tom. I. Cap. 2. §. 17.

m) Conf. Tom. I. Cap. 1. §. 1. N. 3.

tamen non ſint, qui re optima intemperantius, & inſolentius utantur, quam oporteat, aliis hic penſandum relinquo. Profecto Febronius noluit pro regula, & Jure, niſi conſtantem uſum, & uniformem diſciplinam octo primorum ſæculorum adſumi, quam certe prudentiſſimam regulam turpiter deſerunt illi, qui corraſis undequaque factis, de quibus merito dubites, Jure, an injuria exiſtentiam nacta ſint, illico ad Jus concludunt, omnemque diſciplinam hodie exiſtentem evertere nituntur. —

IV. Vix tamen majus commodum in Studium Juris noſtri ex Syſtemate Febronii redundavit, quam quod Syſtema Gallorum paulo diligentius cœperimus indagare; cum enim Febronius placitis ſuis ex Gallia conſtanter auxiliares copias arceſſeret, non potuit ſatis fortiter impugnari, quam diu ſub præſidio Gallorum tutus latebat; quam parum autem nobis ante Febronium ſenſa Gallorum nota fuerint, vel ipſe Febronius ab iisdem aberrans, Vir licet eruditiſſimus, argumentum ineluctabile ſubpeditat. Rem autem ſic ſe habere facile probatu eſſe mihi omnino videtur; ut enim jam nihil dicam de Adverſariis Febronii Zaccaria, Kauffmanſio, Trautweinio, Ballerinii, Viatore a Cocaleo, & Academiæ noſtræ Collega Cl. Kleinero, qui omnes uno ore edixere, Febronium toto cælo a placitis Gallorum deflexiſſe. Sufficiat hic præter Cl. Dieterich *n*) anon[illegible]num quendam Gallum Au-

n) Diſſert. duabus de Primatu Rom. Pontificis.

horem recentiſſimum o) adpellaſſe. Hic cer-
e totum fere librum inſumſit, ut Febronium
Gallis, in omnibus fere principiis diſſidere
oſtenderet; ne autem vel minimus hic dubi-
andi locus relinquatur, juvabit addere decla-
rationem ipſius Cleri Gallicani de A. 1775. p)
Petierat

o) De l'Authorité des deux Puiſſances. à Strasbourg. 1780. præſertim part. 2. art. 4.

p) Memoires du Clergé de France de A. 1775. pag. 870.

Denonciation

du Samedi 18. Novembre 1775. à 9 heure du matin CXXV Séance.

Monſeigneur le Cardinal de la Rochaymon Preſident.

Monſeigneur l'Archevêque de Paris a dit, qu'il avoit reçu une lettre de Monſeigneur l'Archevêque Electeur de Trêves, concernant un livre connu depuis quelques années, dans ſes états, & qui à pour titre: *Juſtini Febronii, Juris Conſulti, de Statu Eccleſiæ, & legitima poteſtate Romani Pontificis liber ſingularis*, qu'il paroisſoit par cette lettre, que l'Auteur de cet ouvrage s'étayoit du Suffrage du Clergé de France dans pluſieurs opinions contraires à l'enſeignement de l'egliſe gallicane, que ſi l'aſſemblée l'agréoit, on en feroit la lecture.

Après la lecture de cette lettre, Monſeigneur l'Archevêque de Paris à dit, que

pour

Petierat nempe Sereniſſ. Trevirenſis a Clero Gallicano ſententiam ejusdem de libro Febronii, comitia Cleri Gallicani relatione a Collegio cenſorio facta eidem Sereniſſimo per Card. Rochaymont reſcribi juſſerunt, opus Febronii nec multum cognitum eſſe in Gallis, nec etiam

---

pour répondre aux vœux de M. l'Electeur & mettre l'aſſemblée, qui touche a la fin de ſes Séances, à portée de prendre, à cet égard, un parti digne de ſa ſageſſe, il avoit fait faire un extrait des quelques aſſertions de cet Auteur, qu'il remettoit cet extrait ſur le bureau avec un exemplaire de l'ouvrage.

Sur quoi Meſſeigneurs, & Meſſieurs du bureau de la religion & de la jurisdiction ont été priés d'examiner avec ſoin la doctrine contenue dans ces aſſertions, & de faire part à l'aſſemblée de leurs vües à cet égard.

Rapport, & deliberation Jeudi 7. Decembre 1775. à 9 heure du matin CXL Séance.

Meſſeigneurs, & Meſſieurs les Commiſſaires pour la religion, & la jurisdiction ont pris le bureau, & Monſeigneur l'Archevêque de Toulouſe à dit, que la commiſſion s'étant occupée, conformement aux ordres de l'aſſemblée, de la lettre écrite par Monſeigneur l'Archevêque Electeur de Trêves à Monſeigneur l'Archevêque de Paris ſur le livre de Febronius, avoit applaudi comme elle le devoit, au zéle de Monſeigneur l'Electeur de Trêves, & que partageant ſes juſtes alarmes, elle ſe feroit empreſſée de chercher tous les moyens

etiam multum æſtimari. Theologos autem cenſere Febronium opinionibus favere novellis, & reverentem in ſummam ſedem linguam Gallorum omnino poſthabuiſſe; diffeſſionem ejusmodi Authorum extare jam multis in locis declarationum ejusdem Cleri Gallicani, neque,

---

moyens de lui donner la ſatisfaction, qu'il deſiroit; mais que la fin prochaine des ſeances ne permettant pas de ſe livrer à un examen approfondi de cet ouvrage, elle croyoit devoir ſe borner à propoſer a l'aſſemblée de prier Monſeigneur le Cardinal de la Rochaymon, de faire connoître à M. l'Electeur les ſentiments, dont elle eſt penêtrée pour ſa perſonne, & de lui marquer.

1mo. Que l'aſſemblée, touchée, comme elle doit l'être, de la confiance, que lui temoigne M. l'Electeur auroit deſiré ſeconder de tout ſon pouvoir le zéle qui l'anime, pour repouſſer loin de ſon diœceſe, tout ce qui peut alterer la pureté de la foi, & l'intégrité de la doctrine, mais que touchant à la fin de ſes Seances, lorsque la lettre de M. l'Electeur lui à été communiquée, elle n'a pu ſe livrer a l'examen approfondi du livre de Febronius. —

2do. Que cet ouvrage eſt à peine connu en France d'un petit nombre de theologiens, & que loin d'y avoir aucune Autorité, il paſſe parmi ceux, qui le connoiſſent pour favoriſer les opinions nouvelles, pour être inexacte ſur les objets de la plus haute importence, & ſur

que, eo quod liber Febronii ſatis notus non eſſet in Galliis, ex ſilentio Cleri Gallicani quidquam præſidii eidem accedere poſſe. Ex quibus omnibus certe non invita Minerva conficitur, & ipſi Febronio Viro cæteroquin eruditiſſimo, & quod conſequens eſt, etiam cæteris Germanis parum notum fuiſſe Syſtema Gallorum. Neque tamen etiam hodie omnes, qui ſententias Gallorum paſſim plenis buccis jactare

---

ſur tout pour s'écarter du langage, dont le Clergé s'eſt toujours fait un loi, lorsqu'il à été dans le cas de s'expliquer ſur la primauté d'honneur, & de jurisdiction, qui appartient au Succeſſeur de S. Pierre, & ſur l'Autorité de l'Egliſe de Rome, centre de l'Unité & Mere & Maîtreſſe de toutes les égliſes.

3tio. Que la doctrine du Clergé de France, ſur tous ces objets, conſignée dans les déclarations, & expoſitions de ſes aſſemblées, eſt le deſaveu le plus formel, qu'il ſoit poſſible d'oppoſer a ceux, qui oſent ſans fondement s'appuyer de ſon Autorité, qu'il faudroit, pour s'en prevaloir, tenir le même langage, que lui, d'après la doctrine des peres, & des anciens Canons, & que pour tirer avantage du ſilence de l'egliſe de France, il faudroit que l'ouvrage de Febronius y fut aſſez connu, & répandu pour avoir mérité de fixer ſon attention.

L'Avis de la Commiſſion à été approuvé, & Son Eminence à dit, qu'elle ſe conformeroit inceſſamment aux déſirs de l'aſſemblée.

jactare consuevere, ejusdem systematis principiis rite imbuti sunt. Materiam errandi præbet animadversio passim neglecta, nempe in Galliis tres esse sententiarum classes, de Jure in sacra, & circa sacra. Sunt enimvero, qui cum Richerio q), Launojo, Dupinio, Quesnellio & cæteris anonymis, quos Galli magis Orthodoxi Jansenistis accensent, ad regimen populare sese inclinant, atque hos Febronium imitatum fuisse, ni fallor, demonstravit Carrichius, Theologus Coloniensis r). Febronium autem in hocce systemate sectatores habere Austriacos recentiores complures ex omnibus eorum lucubrationibus hodie transparet s). Alteram Classem constituunt Juris Consulti ejusdem Nationis Gallicanæ, Patroni videlicet causarum, Procuratores Regii, & Adsessores Curiarum supremarum ejusdem Regni. Hi quidem circa Jura supremi Pontificis, & Episcoporum cum Clero

q) Videri tamen possunt, quæ pro manibus Richerii vindicandis habet *Lackics* in jure publico Eccles. parte Generali §. 91. in nota.

r) De Ecclesia, Romanique Pontificis, & Episcoporum legitima potestate. 1773.

s) Conf. Curalt genuina totius Jurisprudentiæ sacræ principia. Viennæ 1781. — Item Abhandlung von der Hierarchischen Gewalt der heiligen allgemeinen Kirche, verfasset von Karl Freihr. von Tauber, des Brünner Bißthums Domherrn und Offizialen, dann der K. K. Erzbischöflichen Brünner Universität beständigen Kanzler. Wien 1782.

Clero Gallicano fere conſpirant, ſed quoad Jus circa ſacra frequenter etiam cum eodem colliduntur, Clero vix non ſemper ſuccumbente, nilque profuturos ſub libertatum Gallicanarum jugo gemitus emittente *t*). — Tertiæ Claſſi accenſendi Theologi, & ipſe Clerus Gallicanus, quorumque ſenſa Gerſonii, Perronii, Boſſueti, Thomaſſini, Natalis Alexandri, Fleuryi, Tournelyi, & Colleti Opera, paſſimque acta Cleri Gallicani nobis exhibent. De Marca, Baluzius, Gibertus, Domat, d'Agueſſau, Talonius, Cabaſſutius, Hericourtius, la Combe, Deniſart vel fuere Jurisconſulti, vel in eorum placita ivere; atque hæc diverſitas neceſſario notanda eſſet ab iis authoribus, qui apud Gallos ſententiarum ſuarum patrocinia emendicant. Neque pro ſenſu Eccleſiæ Gallicanæ nobis obtrudendum eſſet, quod vel Cauſidici quidam Gallicani vel novitatum amatores pro ſenſu ejusdem Eccleſiæ venditare ſolent. —

Hæc quidem ſunt præcipua, quæ ad Jus Canonicum commune per Syſtema Febronii rediere, lucra; non minora tamen debet Febronio Jus patriæ noſtræ, eo quod inprimis occaſionem ſubpeditaverit materiam de Concordatis 30. & ultra annorum labore tandem confectis exactius examinandi, ac perluſtrandi. Notiſſimum equidem eſt, Cl. Barthelium tribus Diſſertationibus in hac materia editis plurimum

t) Atque hos præcipue laudavit, & ſecutus eſt Cl. Riegger, & qui eum ſequuntur, Eybelius, & recentiſſime Pehemius.

rimum lucis huic Palladio Ecclesiæ Germanicæ illustrando affudisse, idque jam diu ante quam Febronius celebratissimum suum multorum annorum opus luci publicæ exponeret. At enim desiderabantur adhuc multa ipsam historiam illustrantia, deerat ipsum instrumentum acceptationis Decretorum Basileensium, deerant Bullæ Eugenianæ, sive Concordata Principum Francofurti non sine plurima difficultate conflata, deerat etiam Instrumentum Concordatorum Aschaffenburgensium. Equidem Illustr. de Senkenberg in Collectione Recessuum Imperii novissima A. 1747. edita Bullas quasdam Eugenii IV. & Concordata Aschaffenburgensia per modum instrumenti concepta, Publico jam donaverat *u*), sed Cl. Barthelius, qui suas de Concordatis Dissertationes jam A. 1744. elaboravit, hac erudita opera Senkenbergii ne quidem uti potuit, contentus tantum textu, quem exhibet Bulla Nicolai V. confirmatoria A. 1447. in Germaniam missa; hanc autem Bullam tacite saltem hinc inde favere Curiæ Romanæ norunt Eruditi omnes. Neque felicior fortuna arrisit Zallweinio, Zechio & cæteris de Jure Ecclesiastico Germanico optime meritis Scriptoribus, utpote qui ultra Barthelium in hac materia adeo non sapuere, ut potius satis ipsis fuerit, Compendium dictorum a Barthelio suis Lectoribus offerre. Ipsa Notio Concordatorum, quam Zallweinius *x*) de Concordatis concepit, scilicet: quod sint solennis conventio

u) Tom. I. pag. 174.

x) Tom. III. Quæst. 2. C. 3. §. 2. pag. 300.

conventio inter Nicolaum V. & Fridericum III. luce meridiana clarius prodit, eum præcipuam Concordatorum partem vel ignorasse, vel non advertisse. At enim cum Febronius *y)* aperta fronte Concordata per ignorantiam Juris, & iniquitatem temporum extorta esse adsereret, cumque præterea eadem nonnisi ad tempus, nempe usque ad futurum Concilium valere adeoque Germanos, cum Curia Romana nunquam non Concilia Generalia impedire adlaboret, a Concordatis Jure optimo recedere posse contenderet, coeptum est ad hæc adserta Febronii vel confirmanda, vel infringenda in historiam altius inquiri. — Operam suam hoc in negotio sane utilissimam collocarunt tria Germaniæ lumina, Horixius nempe, Nellerus, & præprimis Reverendissimus Würdtweinius. Ille, dum documenta quam maxime necessaria luci publicæ exponeret *z)*: iste dum Dissertatione de Decretis Basileensibus ab inclyta Natione nostra acceptatis historiam Compendiariam justo ordine contexeret: hic vero dum meditatus historiam pragmaticam totius negotii Concordatorum monumenta in hunc finem necessaria colligeret, & collecta tribus Voluminibus *aa)* Juris publici faceret,

y) Tom. I. Cap. 8. §. 9.

z) Vid. Concordata Nationis Germanicæ integra cum additamentis tribus Tomis comprehensa.

aa) Nempe Tom. 7. 8. & 9. Subsidiorum diplomaticorum.

faceret, aut saltem, ubi inveniri possent, edoceret. Accessere Dissertationes Commentariæ nova & veteri eruditione refertissimæ, quas Cl. Schlœrio in acceptis ferimus, & ut in promtu sit etiam iis notitia necessaria, qui longa Dissertationum fila evolvere non adeo amant, innumeri fere Compendia sciendorum exhibuere, inter quos autem, sicut stella primæ magnitudinis eminet Ant. Schmidt *bb)*. Academiæ nostræ olim immortale decus, quem si Antesignanum omnium fere Canonistarum Germanorum recentiorum dixero, nemo me partium studii, nisi & ipse partium studio implicatus, reum aget. Commendari etiam iis, qui compendiis delectantur, meretur Cl. Riegger *cc)* & pluribus jam scriptis, promtoque, & facili ingenio Celeb. Hedderichius.

Interim per investigationem antiquitatis circa Concordata illud præterea Juri nostro commodi accidit, quod historia sacra patriæ nostræ per alia etiam monumenta, ex pulvere, in quo jacebant, extracta, multum cœperit incrementi; quod nescio, an ideo factum, quia animi aliquando deliciis antiquitatis inescati deinde marte proprio plura, & plura moliuntur, vel quia Febronius ipse in historia diplomatica Trevirensi *dd)*, nomine proprio edita

bb) Instit. Juris Eccles. Tom. I. p. 1. C. 5. §. 59. seqq. item Parte 2. C. 1. Sect. 3. §. 61. seqq.

cc) Principia Juris Eccles. Germaniæ.

dd) Hist. Diplomat. Trevirensis 2. Tomis, queis accessit Prodromus Hist. Trevirensis.

edita viam, qua in indaganda hiſtoria patriæ noſtræ eundum eſſet, productis compluribus antiquitatis documentis præſignaverat, vel quia in Opere Febroniano multis in locis ſpecialiori antiquitatum commendatione cæteros excitaverat. Equidem jam diu ante Febronium de Gudenus *ee*), Schannatius *ff*), Hanſizius *gg*), Hundius *hh*), Beſſelius *ii*), Antwerpienſes Vitarum Sanctarum Scriptores in multis locis, & ex Proteſtantibus Lünigius *kk*), Ludwigius *ll*), complura documenta omnem materiam Canonicam illuſtrantia publici Juris fecerant; At enim hæc tantum fuiſſe quædam initia ſatis produnt eruditi labores, qui poſtea acceſſere. Inprimis quidem immortale opus omnibus Juris ſacri Doctoribus acceptiſſimum molitus eſt Harzhemius *mm*); collectionem

ee) Codex Diplomaticus Tom. 4. editus Göttingæ A. 1743.

ff) Hiſtoria Epiſcopatus Wormatienſis cum Codice probationum.

gg) Germania ſacra. Tomi 3. diverſis in locis edit.

hh) Metropolis Salisburgenſis & Epiſcopi Suffraganei.

ii) Chronicon Gottwicenſe.

kk) Præſertim in Spicilegio Eccleſ.

ll) Reliquiæ Manuſcriptorum Tom. XII. Lipſiæ 1721—41.

mm) Ipſe quidem edidit Tomos VI. Reliquos ad VIII. adjecit Hermannus Scholl An. 1769.

Tom.

cilicet Conciliorum omnium Germaniæ ab A. 1759. edi cœptam; neque parum præsidii, & ornatus contulit Schoepflingius in historia diplomatica Alsatiæ, Gerkenius in Codice diplomatico Brandenburgico, Cl. Zapfius *nn*), qui nuperrime Scrinia Monasteriorum præsertim Helvetiæ excutere cæpit, atque spolia e tenebris eruta aura publica frui curavit. Mannhemiensibus quoque typis debemus Codicem Laurishamensem; omnibus tamen palmam in hoc genere eruditi laboris præripuisse mihi videtur Reverendiss. ac Clariss. Alexander de Würdtwein, eundem quem cæteris infula, ipsemet infulæ splendorem, ornamentumque concilians. Donavit nobis Reverendiss. Præsul præter plures Dissertationes, Archidiœcesin Moguntinam eruditione patria locupletissimam: addidit ejusdem historiæ bono 13. Tomos subsidiorum diplomaticorum, sed necdum laboris tam ardui pertæsus nunc nova subsidia, quæ ad Tomos VIII. Jam excrevere, subpeditare pergit; pergat Deus O. M. ipsi, vitæ bono juris nostri ex asse devotæ tot annos prosperrimos, & felicissimos subpeditare, quot Tomos subsidiorum nobis jam donatos esse invicem gratulamur, quotque in posterum donatum iri votis ardentissimis desideramus. Quam præclarum vero usum istæ antiquitatis gemmæ in Jure Germanico Ecclesiastico præstent,

Tom. IX. Neussenius 1772. cui postea accessit Xmus.

nn) Monumenta anecdota Historiam Germaniæ illustrantia Vol. I. Aug. Vind. 1785.

ſtent, inter alios complures cum ſingulari prærogativa oſtendit Vir omni mea laude, encomioque ſuperior Cl. Dürrius, qui Diſſertationes de Anno Gratiæ, Carentiæ, Capituli clauſis, decimis, oblegiis & obedientiis, Suffraganeis fere totas ex monumentis Eccleſiarum Germanicarum concinnavit, ornavit, atque viam, qua in controverſiis circa eadem objecta procedendum ſit, fixis principiis juridicis præmonſtravit. — Neque minus ſegniter uſus eſt hiſce monumentis meus in hujate Juris Canonici Cathedra celeberrimus Anteceſſor Cl. Hollius in Statiſticæ Eccleſiæ Germanicæ, multarum Vigiliarum operis, parte prima, quam Dürrius in Præfatione ad Diſſertationem de Suffraganeis admodum erudite ſcriptam eſſe pronuntiat, non formidans cenſorium calamum eorum, qui vel Religionis vel invidiæ ſtudio, vel ignorantia ducti de eximio opere rite judicare vel noluere, vel non potuere. Meminerimus illius: Omne initium grave; & alterius Horatiani: Ubi plura nitent, non ego paucis offendar maculis. — Cæterum ne deeſſet etiam filum quoddam Tironibus, quo in abdita antiquitatis ducerentur, effecit induſtria Viri a Philoſophicis laboribus per totam Germaniam notiſſimi, celeberrimi nempe Schwabii noſtri, qui otium a ſubtilitatibus Philoſophicis vacuum, nunquam otioſus ſtudio antiquitatis conſecrare non dubitans brevem introductionem in rem diplomaticam, etiam exteris æſtimatam concinnavit. — Sed contrahenda ſunt vela. Hoc unum tamen animadvertere adhuc licebit, quod cum tot commo-

dis, quæ Syſtema Febronii ſcientiæ noſtræ peperit, etiam non pauca incommoda, ut in rebus humanis contingere amat, enata ſint; atque hoc maxime ex eo, quia non pauci ſunt, qui etiam ipſis lapſibus Febronii delectantur, qui intemperantem in ſummam ſedem calamum imitantur, qui regimen in Eccleſia populare a Febronio ſaltem ſubobſcure inſinuatum propugnare laborant, qui Adverſarios proſternere potius, quam convincere nituntur, qui, quidquid antiquum, probant; quidquid novum, utile licet, experientia probatum, temporibusque accommodatum cum Febronio nauſeant, immemores ſententiæ Senecianæ, quam Febronius ceu teſſeram & confeſſionem publicam Commentario in ſuam retractationem, operi ante diſceſſum ex theatro literario ultimo, præfixit, nempe: *Rectum iter, quod ſero cognovi, & laſſus errando, cæteris monſtro.*

APPENDIX APOLOGETICA

ADVERSUS AUCTORES

der

Mainzer Monatschrift von geistlichen Sachen, 9tes Heft, 1786. pag. 797.

Scripseram nuper occasione exercitationis me Præside habitæ præfationem de exercitio Juris dispensandi in universalibus ecclesiæ legibus, credideramque me satis rationum habere dubitandi, an Episcopi *singuli* ab initio ecclesiæ usque ad tempora reservationum Jus dispensandi inconsulto Ecclesiæ primate exercuissent; non speravi ullum hominem offendi posse ea modestia, qua rationes meas proposueram & eo studio veritatis, quod vel ex paucis illis verbis elucet: hic nihilominus qualiscunque labor meus Moguntinis menstruis scriptoribus tantos clamores expressit, ut majores tollere non potuissent, si ipsi Ecclesiæ Metropolitanæ Moguntinæ faces ferales subjecissem. Verum me hic dicere patebit ex ipsa recensione hic adjecta & notis apologeticis illustrata *a)*.

a) Hanc recensionem ideo integram hic addidi, quia fortasse sunt, qui quod eruditi Moguntini singulis mensibus de rebus ecclesiasticis edunt, ad

* * * * * *

Zu Heidelberg ist erschienen: Exercitium Canonicum de Matrimonio, quod sub Præsidio MATTHAEI KÜBEL, Ss. Theologiæ Doctoris, J. U. Licentiati, & Ss. Canonum in antiquissima Heidelberg. Universitate Prof. Publ. Ord. subibit R. D. *Jacobus Koller*, Flexburg. Alsata, Alumnus Congr. Missionis, Ss. Canonum in Annum I. Auditor. Heidelberg. 9. Septembr.

---

ad manus non habent. Heidelbergæ quidem tantum tria aut quatuor exemplaria emuntur. Deinde accessit & illa ratio, quod istam censuram omnibus illis dotibus ornatam crederem, propter quas viri eruditi quidam apologias autorum sese scripturos & collecturos promiserunt. Vid. Mainzer Monatschrift von geistlichen Sachen, 8tes Heft, 1786. pag. 707. Præterea videbam etiam hac ratione ea, quæ hic publico offerrem, in majus volumen ascensura; quod, ut ex censura apparebit, non parum auctores commendat. Tandem etiam censores Moguntini multa ex aliis novellis jam publice notis exscribunt & lectoribus suis benevolis denuo caro vendunt. Quod ipsis justum, cur mihi sit iniquum? &c. Cæterum excusabit me amicus lector, quod hanc qualemcunque defensionem paulo commotior in chartam conjecerim; movebant enim tum indignitas censuræ ipsius, quæ nonnisi convitiis, accusationibus capitalibus, minisque scatebat; tum monita amicorum, qui retorsionis jure uti me posse & debere contendebant; tum dicteria

Septembr. 1786. Vor den Sätzen geht ein
8 Seiten *b*) große Vorrede her, die unser
B 5 Auf

dicteria eorum, quos non parum ejusmod
aculeatis convitiis tribuere animadvertebam
Interim optassem amicam refutationem præfa
tionis; ut vel magis eruditus veritati cessissem
(scripseram enim tantum rationes dubitandi
vel quæ monenda superessent, eodem veritati
studio, quo scripseram præfationem, repo
suissem.

b) Hic observare non omittunt Censores, ex quo
diligentia eorum quam maxime commendari
meretur, meam præfationem non ultra octo
paginas excurrere. Videntur isti viri opera
erudita ex numero paginarum metiri. Recte
enimvero: nam & advocati & referentes in
dicasteriis etiam ecclesiasticis ita suos labores
æstimare solent. Interim id meo bono factum
esse nunc non parum gaudeo. Si enim octo
paginæ tam terribiles vociferationes censoribus
meis expressere; quid enimvero futurum fuis-
set, si 16. aut etiam 24. paginas scriptiuncula
mea implevisset? Crederem me res meas col-
ligere & patrium solum vertere debuisse. Non
multa, sed multum scribi & scribere amo: neque
singulis mensibus, qui singulis mensibus pariunt,
nonnisi ridiculos mures enituntur. Moguntinos
menstruos scriptores, si constitutiones Episco-
pales, quas colligunt, & ea, quæ ex aliis
eruditis novellis exscribunt, exceperis; non
parere leones, passim convenitur. Conquesti
sunt alicubi Censores Göttingenses de raritate
scriptorum

Aufmerksamkeit rege gemacht hat. Wohl hätten wir nicht vermuthet, c) daß in unsern Tagen ein deutscher Canonist d) und geistlicher öffentlicher Lehrer bey der ersten Defension, die

---

scriptorum in materia Juris, quæ querela præsertim Jus Canonicum tangit. Profecto si ab Academiis Austriacis & Bonnensi discedatur, rari nantes apparent in gurgite vasto. Inter alias autem rationes & hanc subesse credo, quod homines historia ecclesiastica fortasse leviter tincti sibi officium judicum in ejusmodi scripta usurpent, atque ea, quæ præconceptis proprii commodi causa opinionibus non adstipulantur, ferula orbiliana excipiant, autores in odium publicum incurrere faciant, & Magistri orbis terrarum, si superis placet, quæ non dedicere, alios docere ambiant. Verbo, qui non pronuntiat Schibbolet horum censorum, Ephratæus est.

c) Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam.
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
In caput alta suum labentur ab æquore retro
Flumina, conversis solque recurret equis.
Terra feret stellas; Coelum findetur aratro:
Unda dabit flammas, & dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præposterа legibus ibunt,
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.

d) Hic mihi indicit illud Paulinum: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: divisus est Christus? Alter nempe Germanus, alter Italus, alter Gallus. Non credidi hactenus, si agatur de juribus imperantium

die er unsers Wissens im 3ten Jahr seiner Professur unter seinem Vorsitze hielt, e) einen solchen Gegenstand wählen, und solchen Satz aufstellen sollte, dadurch er die traurigste Collision

rantium in Ecclesia a Christo determinatis me debere esse vel Germanum, vel Italum, vel Gallum, multo minus Moguntinum. Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, sive Judæo, sive Græco. Neque Professorum esse existimo Patronos aut Advocatos Aularum suarum agere, sed veritatis & Juris, sive stet ab Italo, sive a Gallo, sive a Germano, sive a Turcarum summo Sacerdote Muphti. Video quidem me hic contra torrentem navigare, cum & Austriaci omnes in certa principia conspirent; in alia autem abeant illi, qui subsunt Episcopis; in alia autem ii, qui Dominis territorialibus. Sed me hercle! non amorem veritatis, sed studium quærendi quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, ejusmodi sectas tum regno Christi universo, tum ecclesiæ etiam Germanicæ valde noxias parere, prudens sibi quisque facile persuadebit.

e) Hic magna cum eruditione notant Censores, me intra duos & dimidium annum tantum unam disputationem habuisse: credo id charitatis studio factum esse. Optarem cum ingenti desiderio audire, quot intra quinque annos Moguntiæ, ubi tot illustres & nobiles Canonici, qui sumtus ferre facile & possunt & volunt, scholas frequentare *coguntur*, disputationes ex Jure Canonico habitæ sint.

Collision zwischen der Bischöflichen und Landesherrlichen Gewalt veranlassen könnte. f) Wel-

f) Hic me magno honore afficiunt Censores mei. Egone sim ille vir, qui tum a natura, tum a scientia illis dotibus instructus sim, ut possim tantum opus contra torrentem optimorum & illustrissimorum Theologorum & Canonistarum tum Gallorum, tum Germanorum, uti Censores mei loquuntur, moliri? De est viri mei ad tanrum opus vox stentorea, desunt latera firma, deest ferrea frons, (hæc tamen plerumque sunt dotes reformatoribus necessariæ. Censores meos natura multo liberalius ad tantum opus formavit) deest animus, & si cetera adessent, deest voluntas. Qui me proprius norunt, risum non tenuere, dum hanc accusationem a viris eruditis in me projectam legerent & audirent: mihi vero præ gaudio incidebat illa fabula de puero gloriante & sociis cum lætitia narrante, sese jam peccatis grandibus, ut ex ore confessarii intellexisset, committendis parem. Non ego boni viri, qui incendio jam undequaque omnia depascente aquam adferre volui, collisionis auctor & incentor sum. Vos viri eruditi! vos, qui continuis convitiis Primatem Ecclesiæ populis exosum redditis, qui centrum unitatis convellere nitimini, qui ut vitia vestra & crumenæ studium tegatis, Aulæ Romanæ defectus in immensum extollitis; qui ut Hierarcharum inferiorum gratiam aucupemini, omnimodam, si fortasse dogmata exceperis, a Primate Ecclesiæ

Welcher wider den Strom g) der besten und aufge-

siæ independentiam inducere omnibus viribus laboratis; qui antiquum Jus possessionis (bone Deus! nisi Jus possessionis Præsules Germaniæ tueatur, quid de gladiis fiet?) flocci pendendo, ut Primas Ecclesiæ statione dejiciatur, laudando, approbando, exclamando, terrendo, convitiando contenditis; qui systema vicinorum nobis Gallorum, posthabita tamen reverentia, quam illi nunquam non Pontifici deferunt, quatenus vobis conducit, in Germaniam invehere per fas & nefas satagitis, non perpendentes, quam duro jugo Clerus Gallicanus sub libertatum specie a Curiis prematur. Creditisne imperantes seculares in Germania rerum suarum tam negligentes futuros, ut si Præsules sacri partem systematis Gallorum sibi faventem arrepturi essent, alteram, quæ est de jure circa sacra, ipsos somnolentos exemplo tam Augusto jam præcedente neglecturos fore? Sunt jam, qui notarunt, illum ipsum *Isidorum*, qui, si vobis credimus, omnem ordinem Hierarchicum intervertit, etiam jura imperantium profanorum circa sacra intervertisse; certe ille ipse *Gregorius* septimus & ejus Successores, qui jura Episcoporum, tam crudeliter circumcidisse accusantur, parumne suis fulminibus contulere ad splendorem illum, quo nunc Præsules Germaniæ refulgent? Quid contra hæc omnia valebunt *ridiculæ servitutes Juris publici in alieno territorio?* nisi ut Dominis territorialibus

eam

aufgeklärtesten *h*) deutschen und französischen Theologen und Canonisten, wider die unläugbarsten

eam providentiam inspirent, ne ullum Jus in sacra absque suo præscitu in territorio exerceri patiantur. Hæc & similia nata sunt, collidere sacerdotium & imperium. Non mea præfatio, quæ tantum res eo, quo sunt loco, relinqui voluit; donec inter Hierarchas de exercitio dispensandi amice & ex Spiritu Christi conveniretur. Et perduellionis reus sum?

g) Hic videor mihi audire *communem*, *communiorem*, *communissimam Scholasticorum*: sic itur in antiquam sylvam & stabula alta ferarum. Produnt Censores, quod sint theologi & quidem Casuistæ. Non invideo. Me turbam non morari dixi in præfatione. Quibus rationibus nitatur turba, perpendo; si convincant, assentio: si fallant, quod sæpe fit, contradico: si non liqueat, dubito, sicut feci in præfatione. Sequantur Moguntini Censores turbam per me licet. Interim tamen tantam non esse, quanta jactatur, apparebit postea.

h) Hæc res pendet ab oculis: noctuis tenebræ pro luce sunt; quod alter lucem, id alter tenebras appellat, cui credas? Opinor, neutri. Jactata illa hodierna lucis diffusio sæpe desinit in vacuum. Si illi oculati Theologi & Canonistæ bene videre in antiquitate, sint nostri; sint caecutiere hinc inde, non sint saltem mei, sint Moguntinorum, si velint.

barsten *i*) Nachrichten aus der Kirchengeschichte, die wesentlichen *k*) Gerechtsamen der Bischöffe in Zweifel zu ziehen, und gleich dem berühmten Febronianischen Gegner Zaccaria, aus dem man gewöhnlich diese rüstige Waffen zu entlehnen pflegt, *l*) die offenbarsten Thatsachen

i) Hæc facta toties quoties jactantur, sed nec Thomassinus, nec de Marca, nec van Espen, nec Pereira, nec rapidus torrens oculatissimorum Theologorum & Canonistarum ea in antiquitate vidit, si Censores Moguntini acutius videant, producant ea, hoc unum erat, quod volebam & optabam.

k) De hoc quæritur inter me & Moguntinos Censores. Ultramontanista dicet esse Jus privativum essentiale Romani Pontificis dispensare in regula in legibus universalibus Ecclesiæ; quo animo ferrent Censores Moguntini, si oggererem, eos negare Jus essentiale Primati Ecclesiæ, eosque ceu turbatores Hierarchiæ Ecclesiasticæ publice proclamarem? quod tibi non vis fieri. . . . Ceterum si Jus essentiale sit Episcoporum dispensare in regula, timeo, ne a quinque fere seculis Ecclesia non tantum Italica, sed & Germanica & hodie adhuc ex magna parte Gallicana caruerit & careat Episcopis. Ubi nota essentialis desideratur, ibi essentiam esse non posse, effatum Philosophorum est.

l) Innuere hic videntur Censores, meam præfationem defloratam esse ex Celeberrimo Zaccaria. Provoco viros eruditos, ut loca indicent, ubi

chen *m*) durch fein ausgedachte Spitzfindigkeiten hinweg zu distinguiren *n*) suchet. Und eben

ubi ea, quæ dixi, reperiantur. Interim Tros Rutulusve fuat, dummodo vera suggerat, amicus est. Si Jurisprudentiam vel a limine salutarunt Censores Moguntini, scient, nullitates insanabiles committi, nisi audiatur & altera pars. Clamoribus & contemptu non solvuntur, quæ eruditi Itali scriptoribus exteris opponunt.

m) Prostituant me ergo aliquando coram orbe terrarum Censores, atque hæc facta luce meridiana clariora & vel ipsis talpis videnda producant. Hoc exspectant & amici & inimici, non clamores & jactantiam.

n) Displicent hic distinctiunculæ & subtilitates Zaccarianæ: utrum meæ reflexiones (distinctiunculæ) extent in Zaccaria, equidem ignoro; omnes fere extare in Thomassino & de Marca a me laudatis perspicient eruditi Moguntini, si hos antesignanos in studio Juris sacri elegantis diligentius, quam hactenus evolvere velint. Videntur isti eruditi Moguntini sua per aversionem venalia exponere velle, ut bona mixta malis, vera falsis facilius emptores inveniant. Confusa sicuti confusos clamores non amo. Singula adjuncta mutare casum, adeoque & jura, norunt Juris Consulti: hinc in hac scientia, si usquam alibi, præprimis valet, qui bene distinguit, bene docet, bene decidit, & bene suum cuique tribuit.

eben so wenig hätten wir geglaubt o), daß ein junger Lazarist, ohne Zweifel mit Gutheißung seiner Oberen, sich in der ersten Defension, die nach mehrern Jahren einer aus ihrem Mittel zu Heidelberg unternimmt, zur Vertheidigung

o) Nunc ordo tangit Lazaristas. Credidissem, amicos & hospites meos hic ideo tantum nominari, ut etiam illi, tam benevoli nempe sunt Censores Moguntini in me, a me abalienarentur; nisi, quo animo in hanc ipsam congregationem essent, jam alibi aperuissent Censores. Non desunt, credant Censores, quæ reponi possent a Lazaristis, sed prudentiores me convitiis respondere non dignantur. Si mea opera indigerent, dicerem, inprimis ineptissimam esse conclusionem: Lazaristæ permittunt ab Alumno quodam suo sententiam Professoris a Facultate inclyta publice defendi permissam, propugnari, ergo illam approbant, ergo lædunt Jura Episcoporum, ergo habent Episcopi, cur ipsis irascantur, ergo Hierarchiam Germanicam evertunt, ergo miscent quadrata rotundis; quinam? non Lazaristæ, sed Censores Moguntini sic inferendo. Væ Censoribus librorum, si omnia, quæ ipsi imprimi permittunt, etiam ipsorum esse dicantur. Præterea, quid peccati hic viderint Censores percolantes culicem, nec acutissimus Pharisæus quidam perspicere potest. Permisere hi viri Episcoporum reverentissimi ab Alumno suo sententiam inter Theologos etiam Gallos adhuc contro

pigung eines solchen Gegenstandes und solcher Sätze brauchen lassen würde, die den Bischöffen, unter denen sie stehen, nicht anderst als äußerst unangenehm *p*), und der Hierarchie der deutschen Kirche sehr gefährlich und nach-

controversam (discere id poterunt a Lazaristis, si nesciant Censores) quia Professor sic volebat, publice propugnari. Quis Episcopus, quis Vicariatus, quod Concilium id prohibuerat? nequidem, quod miror, prohibuerant id Censores Moguntini. Prodidere hic denuo Censores, quod sint Theologi morales & quidem casuistæ. Famam enim hominum innocentium tam atris coloribus tingere, & tam fatalibus maculis aspergere nemo potuisset *bona conscientia*, nisi Theologus moralis.

p) Duo tantum hic animadvertere volo, primum, Censores Moguntinos præclarissimam veritatis indagandæ viam aperire, nempe *assentationum*. Nihil videlicet dicendum, nihil defendendum, quod gratum non sit superioribus. Nescio ubinam gentium in historia ecclesiastica aut quo in Evangelio hanc regulam invenerint. Machiavellus similem statuisse etiam dicitur. Tanti nempe refert, quo quis pane vescatur. Nisi Censores mei aërem Moguntinum spirarent, certe laudem pro contumelia tulissem. Advertit nuper amicus quidam, esse qui pro octingentis florenis jura dominorum territorialium, pro mille quingentis Jura Episcoporum defendant; & si bis mille dentur, acturos esse, si ex præteritis conjectu-

ram

nachtheilig q) seyn können. Die Hauptsa
che r) bestehet darinn, daß als ungewiß uni

ram capere licet, patronos Socinianorum. Ce
terum gratulor Dominis Censoribus, quod it
exploraverint omnium Archi - & Episcoporun
intima, ut quid quisque comprobet quidqu
improbet, tam fideliter e memoria recitare pos
sint. Alterum, quod me quidem vehemen
ter affligit, est vindicandi & opprimendi stu
dium, in Evangelio tantopere commendatum
quod hic produnt Censores. Ut adeo consul
tum sit, quod jam ante monueram, si parten
systematis Gallorum Episcopis faventem i
Germaniam admittamus, alteram de Jure cir
ca sacra ne oblivisamur, ut ad manus sin
etiam *appellationes tanquam ab abusu.*

q) *Hierarchia Ecclesiæ Germanicæ*, nova phrasis
Placet conatus, spectat, ni fallor, ad illam lu
cem, quæ a Censoribus Moguntinis ita jactatu
Quo tamen in Consilio, quo in sancto Patre
quo in Evangelio, qua in traditione invent
sit, vehementer scire aveo; fortassis reperie
tur in eo ipso loco, quo facta illa luce cla
riora & a nemine neganda, de quibus jan
ante, reperiuntur. Sed mittamus litem de vo
ce. Scio, Ecclesiam Germanicam specialibu
consuetudinibus, juribus, concordatis, liber
tatibusque gaudere, quibus aliæ non gau
dent; sed quænam ex hisce mea præfatio læ
dit? An ideo non existit Hierarchia *Italica*
vestra phrasi utor, quia Episcopi Italiæ arctio
re nexu vinciuntur Episcopo Romano? No
er

ingegründet s) angegeben wird, als haben die Bischöffe t) vor den Zeiten der römischen Reser=

erit *Toſcana* Hierarchia, quia vobis referentibus, nempe menſe Sept. pag. 731. Epiſcopi illius Ducatus renuerunt contra prohibitiones Pontificis, curam in monaſteria exempta aſſumere? ſi tamen vera ſunt, quæ refertis. Nam cum toties jam deceperitis; cum rumores licet infamantes absque idoneo teſte, ut ipſi fatemini V. Heft pag. 368. in vulgus ſpargatis, vitio non vertetis, ſi diffidentiæ nonnihil conceperim. Doleo etiam vices Gallorum, utpote qui, ſi vobis fides eſt, nec habuere a multo jam tempore Hierarchiam, nec adhucdum habent. Alexander enim Natalis loco a me in præfatione citato rotunde negaverat Jus diſpenſandi Epiſcopis in Canonibus ab Eccleſia univerſa receptis; negavit id etiam Colletus in oculis totius Galliæ. Videantur inſtitutiones theologicæ breviore forma Tomo I. pag. 214. Dubitavit ſicuti ego non tantum de facto, ſed etiam de Jure Hericourtius. Vid. les Lois eccleſiaſtiq. C. 18. §. 25. Thomaſſinus P. II. Lib. 3. Cap. 24. adeo audet aſſerere, non magnopere referre, a Pontificibus an a Conciliis Provincialibus concedantur diſpenſationes. Epiſcoporum *ſingulorum* nequidem meminit. Tam injurius eſt *homo* in Hierarchiam Gallicam. Cui certe etiam ictum fatalem infligit cod. ſtat. Aurel. tit. de matrim. pag. 5. ſic habens: *In impedimentis, quæ dirimunt matrimonium, auctoritate tantum Apoſtolica diſpen-*

dispensatur. Concilium autem Provinciale Tu
ronense Anno 1583. eam plane interimit, cu
de matrimonio hæc statuit: *In quarto consan
guinitatis & affinitatis, nec non spirituali
cognationis prohibitis gradibus supra expre
sis Episcopis dispensare non licere, declara
mus*. Timeo etiam vehementer Hierarchi
Germanicæ; jam per quinque secula Episco
in Germania non dlspensarunt in regula in le
gibus universalibus Ecclesiæ: Ubi ergo tu
Hierarchia Germanica? Aut si fuit, cred
interibit, si Episcopi Germani arctiore, quan
hactenus vinculo uniantur suo Metropolitæ
quo quidem vester omnis labor collineat, eg
cum omnibus probis id exopto, plures tame
tumultus, quo vos rem urgetis, deterret;
enim Primatem Ecclesiæ & ejus Legatos it
prostituitis, quid sibi Episcopi inferiores bo
promittere possint? vel vos ipsos judices ap
pello. — Contra consequentias, quas inv
dia parit, protestor: nam & mihi ad manu
sunt, quibus tamen lubens abstineo. Vobis
cum & de vobis, non de Archipræsulibu
mihi sermo est: quorum tamen causam no
parum proditis, cum Episcopos ab obe
dientia Primatis divinitus instituti avocatis
Archiepiscoporum enim auctoritas Pontific
potissimum auctoritate stetit, quamdiu steti
Legite Thomassinum P. I. Lib. I. Cap. 47 & 48
Pro hoc uno tamen vobis gratias habeo, quo
no

als könnten sie es noch, wenigstens in jenen Fällen, wo kein päbstlicher Vorbehalt erwiesen

non intuleritis, nam in consequentiis estis videlicet fœcundi & felices, me non Germanicam solum sed omnem Hierarchiam subvertere voluisse. Generatim enim dixeram, Episcopos nunquam in regula in universalibus legibus Ecclesiæ dispensasse. Interim sciant Censores, me non nosse Hierarchiam, nisi eam, quam Christus instituit, cujus lex fundamentalis est: *Vos autem non sic.* Quod cum toties occinatur Primati Ecclesiæ, non deberet fileri *Præsulibus ejusdem inferioribus*, (forsitan & hæc phrasis capitale delictum est, postquam Episcopi incipiunt habere plenitudines potestatis. 9. Heft pag. 738.) ne per vim sibi sumant, quod utrum ad ipsos spectet, a viris eruditissimis dubitatur, tantum abest, ut liquido probatum sit. Sed hi eruditi non spectant ad turbam, cum qua tumultuantur Censores Moguntini.

r) Parturiere montes, jam ecce corpus delicti: postquam nempe me & defendentem meum jam perduellionis damnaverant. Punctum principale collocant in *asserto: rationes*, ni fallor, habent Censores pro accessorio. Credunt ruente principali, accessorium per se ruiturum esse.

s) Ex rationibus tamen, quas Moguntini nondum refutarunt.

t) *Singuli.* Hanc vocem ad minimum decies habeo in præfatione. Non video, cur omiserint, nisi

sen werden kann, woraus dann die Folge
wiewohl mit einiger unbedeutenden *u*) Wen
dung gezogen wird, daß ein Landesherr de
Pabst und seine Nuntien in ihren Gerechtsa
men gegen die Bischöffe schützen könne. Di
Beweise dieser Behauptungen *x*), wie auch
was S. 18. von einem hinterlistig, und wi
der Willen des gegenwärtigen Pfarrers er
klärten Ehevertrage und bischöfflich Wormsi
schen Dekret gesagt wird, behalten wir un
vor, bey einer andern Gelegenheit zu be

nisi fortasse ipsam præfationem nondum leg
rant, quando recensebant. Nam hoc ipsi
quandoque evenire, non parum suspicor.

u) Hæc vox est mihi hic vere non significativ
Deest Jurisprudentia Censoribus, alias co
clusionem ex antecedentibus statim anima
vertere potuissent. Quodsi enim incertum si
an Episcopi unquam dispensarint in legib
universalibus Ecclesiæ, possessio Pontificis r
mani non potest esse *aperte vitiosa*; quod
hoc: non tantum potest, sed & debet
quolibet Domino territoriali in eadem defe
di: sed hæc Censoribus Moguntinis nihil sign
ficant. Quodsi etiam legerunt præfationem
tantum tamen sibi otii non sumpsere, ut v
paulisper reflecterent.

x) Tantum probaveram primam, alteram
defensione Pontificis permiseram absque om
probatione disputationi. Hic denuo appare
lectam non fuisse præfationem, & tamen n
censitam, & quidem tanto tumultu.

euchten. y) In Betreff des ersten nur eines. Der Hr. Verfasser sagt S. 4.: „Es sey unglaublich, daß in den drey ersten Jahrhunderten von den Bischöffen einige Dispensationen begehrt, oder ertheilt worden seyn.„ z) Der große

y) Fulgur ex pelvi: Minati hic sunt Censores castigationem propter rescriptum Wormatiense & Thesin adjunctam, qua nempe matrimonium coram invito parocho contractum dubium dicebam. Copia rescripti est in manibus, cuicunque libet, illam exhibere possum. Thesis eousque stabit, donec Censores Moguntini ostenderint, saltem unam ex his duabus propositionibus certam esse. *Prima: potest ratio sacramenti a fidelibus separari de contractu matrimoniali. Secunda: parochus non est minister sacramenti matrimonii.* Nam stante dubio circa has propositiones, Censores Moguntini prona Minerva concludere poterunt, ipsum matrimonium sic furtive susceptum dubium esse, jam in hoc dubio, si saltim theologi morales sint, scient, quia agitur de valore sacramenti, tutiorem sequendam, adeoque tale matrimonium nec dissolvendum esse, ne matrimonium fortasse validum contra Jus divinum dissolvatur, nec etiam permittendum, ne matrimonium fortasse invalidum in usum deducatur. Hinc ergo renovandum. Quid hic supereſt, quod carpi possit, nisi studium Censorum meorum, me adeo in doctrina suspectum reddendi; ita bilis exarserat.

z) Non ita scripserat auctor: en propositionem, ut

große Kenner der Kirchengeschichte, des christlichen Alterthums und Kirchenregiments, der unvergleichliche Thomassin schreibt: Es kann nicht einmal von Jemanden bezweifelt werden, daß die Bischöffe in dem 1sten, 2ten und 3ten Jahrhunderte nicht in den Apostolischen Canonen, und allen andern (kirchlichen) Verordnungen damaliger Zeiten, wo es die öffentliche Noth erfoderte, ohne Anfrage bey dem Pabste dispensirt haben. *aa)* Worüber dieser große Ge-

ut saltem jam nnnc legant integram Censores Moguntini: *Neque etiam credibile est, ullas dispensationes in legibus Ecclesiæ paucissimis a Christianis adhuc primo calore ferventibus vel petitas, vel ab Episcopis datas esse.* Adeoque conjecturæ Thomassini opposueram aliam. Thomassinum enim tantum loco citato conjecturam proposuisse, statim ex integro textu apparebit; factum etiam nullum pro hac conjectura producit.

aa) Sicuti ante me, sic nunc citant Thomassinum Censores; nempe alteram periodi partem omittunt, posita tantum prima. En integrum locum: *Ne ambigi quidem illud a quoquam potest, quin primi & secundi, adeoque & tertii etiam seculi Episcopi Canones Apostolicos & Decreta ejus ævi omnia relaxarint, ubi publica id jubebat necessitas, nullo Pontifice Romano, nullo interveniente Concilio Provinciali:* (duo puncta Censores, ne denuo oculis elabantur) *quippe cum acerbitas persecutionum,*

lehrte nicht einmal einen Zweifel *bb*) will zulassen,

tionum, nec cum sede Petri communicare consilia fere sineret, nec Episcopos alios adiri, nec Concilia celebrari Provincialia. Cum apodosin periodi omiserint Censores, denuo produnt, quam sint accurati & religiosi in citando, quod ipsis jam & a Paderbornensi Theologo, & ab erudito Diarii Luxemburgensis scriptore toties exprobratum fuit. Si boni consilii capaces essent Censores Moguntini; nunquam provocare oporteret ad Thomassinum, qui certe systemati illorum non parum adversatur, ut ex hoc ipso loco patet. Etiam stupidi piscatores tandem aliquando ictus sapiunt. Jam ergo quid Thomassinus contra me? Loquebar de regula, nempe casu, quo superiores intermedii aut Primas Ecclesiæ adiri possit: Thomassinus autem de casu, quo aditus præcluditur, atque ex eo conjicit, Episcopos primi, secundi & tertii seculi in Canonibus Apostolicis dispensasse, quia nullus Pontifex Romanus, nullum Concilium Provinciale adiri poterat. Quis contradicet hoc casu existente? — Dixeram ipse pag. 5. præfat. *Hisce autem adjunctis existentibus vel ferventissimus quisque Ultramontanista Jus dispensandi Episcopis non negabit.* En & aliud specimen diligentiæ & sinceritatis, qua Censores Moguntini *utuntur* autoribus. Thomassinus eodem Cap. num. 20. hæc monet: *nec illud oscitanter prætereundum est, quod alii jam præmonuerunt, concessas eas tum fuisse dispensationes omnes,*

lassen, das kommt dem Herrn Verfasser unglaublich cc) vor. Welch ein großer Abstand! Mit

omnes, postquam peccatum jam fuerat in Canones, & quando emendatio ac pœna luctuosior esse ipsi Ecclesiæ poterat, quam ipsum peccatum; quod Thomassinus dicit, non oscitanter prætereundum esse, hoc isti dormiendo videre vel noluere vel non potuere. Vinum tamen Rhenanum alias serenare solet. Datæ sunt nempe absolutiones teste Thomassino, non dispensationes, & quidem tantum eo casu, quo pœnitentia plus nocuisset Ecclesiæ, quam absolutio, quando pœna ipsa Ecclesiæ luctuosior esse poterat, quam ipsum peccatum. Quod ille eruditus primæ classis non oscitanter prætereundum esse asserit, imo quod complures alii eruditi, quos collaudat Thomassinus, jam uno ore edixere, hoc Moguntini negant, voluntque dispensationes tales, quales hodie dantur, datas esse. Welch ein großer Abstand! Si hoc non velint, quare litigant? Si nihil Episcopis hodie attribuere contendant, nisi quod Thomassinus tribuit Episcopis trium primorum seculorum, nempe exercitium & Jus absolvendi casu, quo nullus Pontifex Romanus, nullum Concilium Provinciale adiri possit; quis enimvero contradicet? An non ego ipse in præfatione Episcopis multo plus tribueram scribendo: *Absolutionem Episcopis in regula ipsis in Decretalibus permissam esse, eloquitur C. 29. de Sent. excom.* Ego cum Decretalibus Censoribus meis adeo exosis

Mit Thomassin stimmt überein van Espen dd), und diesen zween großen Führern folgen strom-weise

exosis Episcopis singulis tribuo potestatem absolvendi etiam eo casu, quo Pontifex adiri possit. Thomassinus trium primorum seculorum Episcopos nonnisi eo, quo nullus Romanus Pontifex, nullum Concilium Provinciale adiri poterat, dispensasse dicit; nec tam rigidus sum, ut semper exigam absolutiones has dari tantum tum debere, quando pœna luctuosior esset Ecclesiæ, quam ipsum peccatum; & tamen vocatur in subsidium contra me Thomassinus, ni fallor, ideo, quia Episcoporum Juribus nimium dedi. Forsitan etiam Censores Moguntini occulte partes Pontificis agunt, sicuti Thomassinus. *Nunquid & vos vultis ejus discipuli fieri?* En denuo specimen, quam præclare etiam *intelligant* Thomassinum! Thomassinus enim hac voce *dispensatio* nonnisi in sensu largissimo utitur, nempe prouti & Epikiam & absolutionem & permissionem, quin & tolerantiam comprehendit Certe Cap. 25. loco citato num. 1. vocat *eam celebratissimam dispensationem, qua & Principes dare, & laici accipere ab illis & possidere permissi sunt longo temporis intervallo Episcopatus, Abbatias innumerabilesque Ecclesias a temporibus maxime Caroli Martelli.* Creduntne Censores Moguntini, hic laicis relaxatos fuisse Canones, atque facultatem factam bona ecclesiastica ita profanandi? Et tamen Thomassinus utitur voce dispensatio-

nis.

weise die bewährtesten französischen und deutschen Theologen und Canonisten *ee)*.

nis. Jam ubicunque Moguntini Censores hanc vocem in eodem inveniunt, statim ibi, ut feles nondum satis expertæ quamcunque nigram laciniam, quæ vento ludibrium facit, murem esse credunt, isti dispensationem, de qua controversia est, latere existimant.

bb) Ex conjectura, quod tum temporis nullus Pontifex, nullum Concilium Provinciale adiri potuerit, quæ quam levis sit, apparebit ex dicendis de S. Cypriano.

cc) Ex ratione quia leges erant paucissimæ, Christiani adhuc primo calore fervebant, Episcopi harum autem legum essent exactissimi observatores.

dd) Eodem sensu & eodem modo sicuti Thomassinus, & ideo verissimum est, quod hi duo viri præclarissimi consentiant.

ee) Est mea phrasis in præfatione num. 4. in fine. *Ceteros scriptores recentiores non est necesse excutere, utpote qui omnes hos duces vel secuti sunt, vel sequuntur.*

Hic explicit mea postilla, sed nondum expliciunt aculei Moguntinorum.

APPEN-

APPENDIX SECUNDA

IN

DICTA ET SCRIPTA

der

Mainzer Monatschrift von geistlichen Sachen circa meam præfationem mense Octobri 1786.

Nondum obliti sunt præfationis meæ eruditi Censores Moguntini; pro quo honore grates omnino habeo. Nescio tamen an irasci, an ridere debeam, quod pag. 864. loco citato me ad quosdam advocatos Gallos erudiendum ablegent. Hoc interim gaudeo, quod tandem sibi assumpserint viros, qui Jura suggerere, & disputationem in viam denuo ordinariam inducere valeant; ita omnia perturbarunt Censores Moguntini nescientes, quo se verterent. Illi advocati responderant pro eo casu præcipue *a)*, quo Dominus territorialis

a) Gutachten über die Frage: Ob in der gegenwärtigen Lage der Kirchenzucht die Bischöffe mit Personen ihrer Kirchsprengel in Ehehindernissen zu dispensiren, die Macht haben, besonders wenn der Landesfürst befiehlt, daß man sich um solche Dispensen an sie wende? Paris 1784. Die 4 berühmten Advokaten zu Paris Vau-

lis prohiberet dispensationem a Primate Ecclesiæ exquirere. Ego ubi negavi hoc casu, quo aditus ad Pontificem fit moraliter impossibilis, Episcopos dispensare posse? Loquebar potius pro casu contrario, ubi Dominus territorialis vult dispensationes a Pontifice peti: Illi Galli respondebant de Jure dispensandi casu posito; ego loquebatur de facto, utrum Episcopi in regula dispensaverint. Quam omnia hic concinna & apta sunt, quam crinomeno & puncto controverso congrua! Quod tamen sibi Gallos potius causarum patronos, quam Germanos assumpserint Moguntini, eo consilio factum esse credo, quod & hi multum delectentur *locis communibus*, sicuti Censores Moguntini, & quod jure non possunt, *verbis* persuadere nituntur. Factum tamen bene, sunt humaniores Censoribus meis, amant acumina & non ita terrifice vociferantur.

P. 874. l. c. incipiunt Censores mihi respondere, ut viros eruditos decet. Hinc & meum nunc esse judico, ut deposito omni fervore, quæ monenda credo, amice reponam. Præmitto factum ipsis S. Cypriani verbis narratum,

---

Vauquetin, Aubri, Jabinau, und Meunier beantworten die Frage mit Ja.

Ex hac ipsa quæstione proposita potuissent Censores Moguntini advertere controversiam nostram non ita esse conclamatam in Galliis in favorem suum, sicuti credunt Censores. Majus etiam robur responsioni inesset, si celeberrimi Episcopi & Theologi Gallicani ita respondissent.

tum, ut benevolus Lector ipſe judex eſſe poſſit. Cyprianus nempe in epiſtola ad Antonianum, quem Novatianus Cornelii adverſarius & Anti Papa in ſuas vix non partes pertraxerat, hæc pro defenſione Cornelii perorat: *Quod autem quædam de illo* (Cornelio) *inhoneſta & maligna jactantur nolo mireris; cum ſcias hoc eſſe opus ſemper diaboli, ut ſervos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet; ut qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur. Exploraſſe autem collegas noſtros ſcias & veriſſime comperiſſe nulla illum libelli, ut quidam jactant, labe maculatum eſſe, ſed neque cum Epiſcopis, qui ſacrificaverunt, communicationem ſacrilegam miſcuiſſe; ſed eos demum quorum cauſa audita & innocentia comprobata ſit, conjunxiſſe nobiscum. Nam & de Trophimo, de quo tibi ſcribi deſideraſti, non ita res eſt, ut ad te pertulit rumor, & mendacium malignorum. Nam ſicuti anteceſſores noſtri ſæpe fecerunt, colligendis fratribus noſtris, chariſſimus frater noſter Cornelius neceſſitati ſuccubuit: & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo, & ſatisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem priſtinum confitente & fraternitatem, quam nuper abſtraxerat, cum plena humilitate & ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces, & in Eccleſiam Domini, non tam Trophimus, quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt: qui omnes regreſſuri ad Eccleſiam non eſſent, niſi*

cum

cum Trophimo comitante venissent. Tractatu ergo illic cum Collegis plurimis habito susceptus est Trophimus; pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus: sic tamen admissus est Trophimus, ut Laicus communicet; non secundum, quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet. Sed & quod passim communicare sacrificatis Cornelius tibi denuntiatus est, hoc etiam de Apostatarum fictis rumoribus nascitur. Neque enim possunt laudare nos, qui recedunt; aut expectare debemus, ut placeamus illis, qui nobis displicentes & contra Ecclesiam rebelles, solicitandis de Ecclesia fratribus violenter insistunt. Quare & de Cornelio, & de nobis quæcunque jactantur, nec audias facile, nec credas, frater charissime!

Hoc est factum controversum: nunc ad notas Censorum Moguntinorum. Credunt, Cornelium hic dispensasse *b*). Ego autem existimo hic sermonem esse de indulgentiis tum temporis dari solitis. Quis nostrum melius sentiat; judicet lector. Hasce indulgentias ægre dabant Præsules Ecclesiæ, tum ne offenderent fervidos Christianos, si lapsos tam benigne tractarent, ut etiam peracta nondum integra pœnitentia ad communionem admitterentur; tum ne scandalum darent in periculo defectio-

b) Daß Er die Strenge der Canonen gemildert, und in den Regeln der allgemeinen Kirchenzucht dispensirt habe.

defectionis constitutis, atque eos per facilitatem reconciliationis obtinendæ ad lapsum impellerent; tum etiam quia Novatianus Cornelii adversarius Præsules Ecclesiæ nimiæ lenitatis reos agebat, atque sic fideles a communione Cornelii, & Episcoporum Catholicorum avocabat, sicuti fere evenisset Antoniano. Atque hæc erat illa *necessitas*, cui Cornelius succubuit, quando Trophimum ad communionem recepit. Præterea dispensatio supponit legem: non extat autem ulla lex prohibens ejusmodi indulgentias impertiri, nisi illa interimistica, de qua Cyprianus illa ipsa epistola hæc habet: *De eo tamen, quod statuendum esse circa causam lapsorum distuli, ut cum quies, & tranquillitas data esset, et Episcopis in unum convenire, indulgentia Divina permitteret, tum communicato, & librato de omnium Collatione consilio statueremus, quid fieri oporteret; siquis vero ante Concilium nostrum, & ante sententiam de omnium Consilio statutam lapsis temere communicare voluisset, ipse a communione abstineretur.* Hæc lex etiam fuit probata a clero Romano ante electionem Cornelii, neque obligabat ultra, usque dum persecutione intermittente Concilium Episcoporum haberi posset. Conf. Natalis Alexander dissert. 2da ad hist. Eccles. seculo 3tio. propos. 3. Tale Concilium Cornelius habuit: *Tractatu ergo cum collegis plurimis habito*, antequam Trophimum reciperet, in qua ergo nunc lege dispensavit impleta conditione legis. Tandem si vel maxime lex ecclesiastica prohibens adesset

esset: pro casu tamen, quo Trophimus susceptus est, illam obligare non potuisse examinanti factum a Cypriano narratum ambiguum esse non potest. Ad summum ergo Epikia usus esset Cornelius, quam nemo Episcopis negat, præsertim si ut Cornelius tractatum cum plurimis collegis præmittant.

Secundo credunt Censores, Cornelium hic ut Episcopum Romanum, non ut Pontificem *c*) hanc indulgentiam aut dispensationem Trophimo concessisse; Unde hoc habeant Censores Moguntini, Cornelium hic præcise ut Episcopum Romanum egisse, conjicere non possum. Credo, si Cornelius ut Episcopus Romanus quidquam circa Canones moderari voluit, Primatem Ecclesiæ totius non dissensisse. Interim cum ex facto constet, Trophimum fuisse Episcopum, non video, quomodo Cornelius qua Episcopus Romanus eum sibi subditum habere potuerit. Fuisse autem Trophimum Episcopum, mihi persuadent tum illa verba: *quoniam cum Trophimo maxima pars plebis abscesserat;* tum illa: *quasi locum sacerdotis usurpet.* Non enim voce sacerdotis, sed presbyteri utitur Cyprianus, quando simplicem sacerdotem designare vult, ut aliquoties etiam apparet ex epistola Cypriani ad Antonianum. Hinc etiam Fleury Tom. II. Lib. VII. §. 3. verba

 hæc

c) NB. Nicht als Pabst, sondern als römischer Bischoff in Rücksicht auf einige Gefallenen aus seinem römischen Kirchsprengel. Hæc certe est distinctiuncula.

hæc Cypriani sic reddit: *non autem in Episcopali ordine, sed Laicorum susceptus est.*

Tertio Censores Moguntini illa verba Cypriani: *sicut antecessores nostri sæpe fecerunt*, intelligenda esse volunt de antecessoribus omnium Episcoporum Africanorum: *d*) ego autem non video, quare non majore jure possint accipi de Antecessoribus Cypriani, de Primatibus nempe Carthaginensibus, *qui proprie erant Antecessores* Cypriani. Nam Cyprianum uti prima persona in plurali, quando de se loquitur, non est necesse monere. Interim quidquid sit, si ipse Cornelius non sine habito cum plurimis Episcopis Concilio, & ipse Cyprianus ceu Primas Ecclesiæ totius Africanæ, qui jure quasi Patriarchico uti poterat teste Thomassino Part. 2. Lib. 3. C. 24. Nro. 6. itidem non sine Concilio, in quo copiosus Episcoporum numerus convenerat, ut loquitur eadem epistola, nec etiam antequam cum Cornelio negotium communicasset teste eadem epistola, quidquam circa lapsos moderatius agere voluit; quis credat singulos Episcopos absque recursu ad Primates saltem, id fecisse? Tandem non video, quare Cyprianus se duntaxat & Cornelium hic excusare nitatur. An singuli Episcopi nihil quidquam contra Canones tentabant, & sic habemus, quod volumus; an vero hæc duo Ecclesiæ lumina

d) Hier schreibt ausdrücklich Cyprian an den Bischoff Antonian, daß ihre Vorfahrer, Bischöffe in Afrika, öfters dasjenige gethan haben, was Cornelius gethan hat.

lumina ſoli in diſpenſando exceſſus committebant, quis enimvero credat? Etiam Tertullianus ſolum Zephyrinum Pontificem arguit, eum adulteris & mœchis pœnitentiam promittere. Hisce perpenſis ne iraſcantur mihi Cenſores Moguntini, ſi hoc factum tam clare ſuo ſyſtemati patrocinari negem, quam ipſi volunt *e*).

Alterum, quod mihi objiciunt Cenſores Moguntini, eſt Canon Synodi Ancyranæ XIX. quem denuo adjungo, ut lector benevolus etiam particeps dicendorum eſſe poſſit. Sic autem habet ex verſione Dionyſii: *Diaconi, quicunque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, velle ſe conjugio copulari, quia ſic manere non poſſunt: hi ſi poſtmodum uxores duxerint, in miniſterio maneant, propterea, quod eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicunque, ſane tacuerunt & ſuſceperunt manus impoſitionem, profeſſi continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, a miniſterio ceſſare debebunt.* Credunt Cenſores Moguntini cum clariſſimo Haubs, Profeſſ. Trevirenſ. ex cujus theſibus hæc habent, per illa verba, *quia Epiſcopus licentiam dederit*, intelligi diſpenſationem. Ego inprimis non credo, omnem conceſſionem licentiæ etiam eſſe diſpenſationem. Concedunt ſæpe

 Supe-

e) Das wird denn doch wohl ein treffender Beweis und giltiges Zeugniß seyn, daß die Bischöffe in allgemeinen Kirchenverordnungen in den drey ersten Jahrhunderten aus hinreichenden Gründen dispensirt haben.

Superiores religioſorum licentias, quin diſpenſent in ſtatutis ordinum; nempe ſunt leges, quarum prohibitio tantum ſe eo extendit, ut quidquam non fiat absque Superioris licentia; hac habita leges nil prohibent amplius; atque ſic intellexit hunc Canonem Tournelius de ord. quæſt. ult. art. I. concluſ. I. ſcribens *nulla tunc temporis legis neceſſitate adactos fuiſſe diaconos ad continentiam profitendam, ſed id eorum libertati relictum, accedente Epiſcopi licentia.* Sic etiam intellexit Cl. Beckerus Jur. Eccl. univerſ. antiq. in nota ad hunc Canonem ſic ſcribens: *Obſerva ſingularem diſciplinam continentiæ Diaconorum apud orientales tunc vigentem; & quod Epiſcopus potuerit talibus licentiam darè, ut uxores ducerent, niſi in ipſa ordinatione profeſſi eſſent continentiam: Poterat ergo tunc ſuſcipi ordo ſeparatus a voto caſtitatis.* Non credunt ergo iſti duo eruditi, tunc temporis jam fuiſſe univerſalem legem Cœlibatus, quoad Diaconos ſaltem; ſed rem pependiſſe ab arbitrio Epiſcopi, utrum nempe Diaconos Cœlibes an etiam maritos habere vellet. Quodſi tamen ordinaſſet proteſtantem contra vitam Cœlibem, non poterat eum vel ipſe vel ſucceſſor ejus ob matrimonium poſtea initum de gradu ſuo dejicere. Legem Cœlibatus univerſalem etiam negat Natalis Alexander diſſert. 9na ad ſecul. quart. hiſt. Eccleſ. prima enim propoſitione ſic ſtatuit: *perpetuæ lex continentiæ nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis ſacris miniſtris impoſita fuit.* Hanc propoſitionem multis aliis documentis, tum vero ipſo hoc Canone Ancyrano

cyrano probat. Namque inquit, qui in ipsa ordinatione protestati fuerant, velle se conjugio copulari, quia continentiam servare non poterant, Ancyrani Patres matrimonio post ordinationem uti non permisissent, si a Christo aut ab Apostolis continentiæ perpetuæ præceptum ipsis impositum fuisset. Propositio 2da ipsius sic concepta est: *quamvis Nicena Synodus de Clericorum Cœlibatu nihil statuerit, ejus tamen temporibus Episcopi, Presbyteri & Diaconi perpetuam continentiam servabant ex Ecclesiæ disciplina diuturno usu & ab Apostolicis temporibus derivato firmata, quam Siricius & alii dein Pontifices Conciliaque decretis suis atque Canonibus roborarunt.* Hunc usum autem non fuisse ubique observatum, præsertim in oriente, conqueritur Epiphanius hæresi 59 n. 4. scribens: *quod in illis locis præcipue fit, ubi ecclesiastici Canones accurate observantur.* Fatetur id ipsum etiam Thomassinus Part. I. Lib. 2. Cap. 60. n. 2. Innuit Socrates Lib. I. Cap. 11. narrans historiam famosam Paphnutii. Probat denique plene Concilium Trullanum & praxis hodierna Ecclesiæ Græcæ inde derivata. Igitur si huic sententiæ quis adstipulatur, quæ legem extitisse negat, certe dispensationem in eadem lege Moguntinis Censoribus concedere nequit.

Interim tamen non omnes Autores consentiunt Natali Alexandro: sunt, uti *Bellarminus*, *Thomassinus*, *Zaccaria*, & alii, qui etiam tum legem universalem Cœlibatum imperantem extitisse opinantur. In hac sententia

verum eſſet, Epiſcopos in lege univerſali Eccleſiæ diſpenſaſſe; ſed probandum nunc eſſet, hanc diſpenſationem etiam fuiſſe probatam a Concilio, & legitime probatam. Primum ex Canone non apparet. Patres quidem Diaconos in patrocinium ſuſcepere, & jure: ſi enim Epiſcopus, quod tum temporis fiebat, ad Diaconatum ſuſcipiendum quendam ex clericis inferioribus, licet proteſtaretur, nolle ſe Cœlibem vivere, adegiſſet, non poterat ita proteſtans poſtea jure compelli, ut a matrimonio abſtineret, neque etiam deponi, licet Epiſcopus talem ordinando contra Canonem prohibentem peccaſſet: Epiſcopos etiam tales ordinando ſuo jure uſos eſſe, nulla ſyllaba in Canone innuitur: neque credibile eſt, ſi lex extabat, Epiſcopos ejusmodi Diaconorum ordinationes promiſcue facere potuiſſe, quod tamen Canon innuit. Certe ex diſciplina ejus ætatis apparet, nihil unquam contra Canones licuiſſe, niſi in caſu neceſſitatis, ubi Epikiæ potius, quam diſpenſationi locus eſſet Ponamus tamen & hanc diſpenſationem fuiſſe probatam a Concilio; quæritur, an legitime? Non credit id Cabaſſutius in not. eccl. ſecul. 4. pag. mihi 63. ſcribens: *non eſt tanti momenti unius alicujus Diaconi ordinatio, ut ejus gratia nulla urgente neceſſitate liceat uni vel alteri Epiſcopo ſacras ab Apoſtolis traditas totaque Catholica Eccleſia receptas leges tam leviter infringere, ex quo univerſam demum clericalem diſciplinam corruere neceſſe ſit.* Præiverat jam Cabaſſutio Epiphanius loquens de hoc ipſo uſu vel abuſu circa matrimonia Clericorum

apud

apud Thomassinum loco cit.: *Respondeo non illud ex Canonis autoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere solet.* Quod Epiphanius negligentiam & ignaviam vocat, hoc quicunque vult vocet dispensationem, non repugno. Si non aliis fundamentis nitatur exercitium dispensandi Episcoporum, credo me jure æquissimo dubitasse.

Tertium, quod displicuit Censoribus, est, quod ex Canonibus uti Ancyrano II, X. & Nicæno XI, qui Episcopis permittunt, circa lapsos mansuetudinem habere, atque tempus pœnitentiæ contrahere, intulerim; Episcopos ergo in regula id per se non fecisse. *f)* Hoc ideo intuli, quia mihi persuadere non poteram, Episcopos illius temporis tam negligentes fuisse, ut toties per Concilia, quin & per ipsum Nicænum generale jubendi essent, potestate jam habita uti. Ad quid jubentur facere, quod passim faciebant, si verum est, quod in regula dispensarint?

Præterea

f) Es scheint derohalben Mißdeutung zu seyn, wenn Herr Professor K. zu Heidelberg glaubt, durch diese Canonen werde vielmehr die Beschrenkung der bischöfflichen Macht in Dispensationsfällen erwiesen. Hoc Professor K. non credit, neque locutus est de Jure, sed de exercitio. Sumunt Censores, Episcopos habere hoc Jus, quod ego non sumo. Igitur & de limitatione hujus Juris ne cogitare quidem potui.

Præterea illa verba Canonis quinti Ancyrani: *Episcopum autem licentiam habere oportet;* Item Nicæni Can. 11.: *licebit etiam Episcopo:* si rite perpendantur, potius indicant, hic licentiam fieri Episcopis; non vero Episcopos illam jam habere; alias dicendum fuisset, Episcopum autem uti oportet licentia jam habita, utatur Episcopus humanitate &c. Illud autem mihi risum movet, quod de scrupulis Antoniani & aliorum Episcoporum tum temporis opinantur Moguntini Censores; ego saltem hisce Episcopis a Confessionibus non fui, ut conscientiam ipsorum tam adcurate perspectam habeam. Episcopos illos primos sua Jura adeo ignorasse, ut sibi ex erronea conscientia religioni ducerent, quidquam contra Canones moliri, ego nunquam credam; credat cui lubet.

Tandem me etiam terrere voluere Censores Moguntini auctoritate trium Archipræsulum Rhenanorum, cum nempe epistolam anno 1769 ad Pontificem datam mihi opponunt. Revereor summa cum reverentia Archipræsules *Imperantes*, neque tum multum inquiro in rationes, nisi quatenus officium mihi injunctum id exposcit. Revereor etiam *docentes*, præsertim si in Conciliis cum ceteris collegis dogmata controversa decidant; sed si agitur *de factis*, tum enimvero ex causis sufficientibus licebit etiam cum reverentia recedere: atque hinc non video, quomodo contra me ista epistola allegari potuerit. Quæ enim consequentiæ species: Archipræsules anno 1769 conquesti sunt de abusibus in dispensando commissis

ſſis & committi ſolitis, aſſeruntque, Epi-
opos in caſibus, ubi per Canones fieri poteſt,
ſpenſare poſſe: ergo Epiſcopi usque ad
empora reſervationum in legibus Eccleſiæ
niverſalibus in regula diſpenſarunt. Hoc ta-
nen erat punctum controverſum.

Hæc ſunt, quæ interim amice ultimæ
objectioni reſpondenda duxi, paratus ſemper
ad hanc amicitiam: niſi fortaſſe Cenſoribus
Moguntinis placuerit eo ſtylo pergere, quo
incepere, tum enimvero non deero etiam par-
tibus meis, & convicia conviciis jure retorſio-
nis compenſabo. Ex hoc ipſo enim ſpecimine,
primo, quod hic dedi, perſpicient Cenſores,
me & in arte convitiandi, ſi præſertim eam *per
duos annos* exercuero, profectum non pœni-
tendum facere poſſe.




Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
TIFFEN® Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black